



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

\$. III. De illius adolescentia, & Vocatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

De illius adolescentia, & Vocatione.

Postquam provehentibus annis ad litterarum studia incumbere cepit, inter illa ætatis discrimina sedula sollicitudine cavit, ne ab eo fine & scopo unquam abluderet, ad quem votò nuncupatò eum pia Mater ab infantia destinarat. Litterarum eruditione plurimos, morum candore, & innocentia ferè omnes coætaneos superavit.

Habac. I. 16.

Verum adverte vasritiem stygii Cavernionis, qui quantò candidiores reperit animas, tantò avidius exerit vim suam nocendi, affimante Propheta: *Cibus ejus electus*. Contigit aliquando, ut consodaliū hortatu ad theatrum publicum circumforanei agyræ accederet, ubi histrionicus jocolator, nescio quos ructus honestati minùs consentaneos populo applaudente effutiebat: Risit ad hæc juvenili levitate Antonius, sed risu, qui postliminiò prolaxis lacrymis stetit. Quippe ibi confestim in ipsa conferta hominum multitudine gravi hernia percussus cum Saulo recenter converso luculenter advertit, se ad altiora, quàm has mundi immundi fabulas à Deo destinari.

Sap. 8. 1.

Mirare hic mecum, amice Lector, Providentiam Dei dispositis omnia suaviter, & perducentis ad finem fortiter: Victoriā sperabat dæmon, si juvenilem animum hæc, quam diximus, perverſione labefactaret, & hos ipsos nocendi conatus Providissima Dei Bonitas in suam gloriam, & animarum salutem convertit, ita ut hanc in rem quàm optimè usurpari possint verba Sancti Cardinalis Damiani: *Inde adversarius noster obtemperat nutibus supernæ gratiæ, unde exercet iram nequissima voluntatis suæ*. Hæc Divinæ dexteræ percussio cautum fecit Antonium, & clamare docuit cum Apostolo: *Domine, quid me vis facere?* Hæc animum illius ab omni immunditiæ fuce ita abalienavit, ut per omnem vitam perennaret constans castimonix exemplar. Quod mirabilis est, hæc ipsa afflicti corporis calamitas fax illi, & lucerna fuit ad agnoscendas vitæ sèmitas, ad quas Dei vocantis destinatione fuit electus. Sæpe sapiùs anhelabat sacros Asceteriorum recessus, & impetrare admissionem præ mille aliis poterat, quem pietas, & studiorum eruditio præ mille aliis commendabat; sed aditum illi præclausit hæc corporis afflictio. Suscepto autem Sacerdotio, postquam periculosam hanc sarcinam undenis omninò annis circumtulit, ecce! à Taumaturgica cruce Biberbacensi prodigiòsè liberatus, plenam valetudinem consecutus est, idèò multoties dicere auditus, se habere signum prope modum evidens, quòd Dominus Deus ex immenso suæ Bonitatis abyſſo se ad hanc, cui insudabat, vineam delegerit.

Card. Dam.
serm. 2. de S.
Vital. Mart

Act. 9. v. 6